



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

102 Impotentia naturalis, quae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Autoritate summi Pontificis, & per ingressum religionis. *c. ex publico. de convers. conjug. Cajet. in opus. tom. 1. tract. 28.* & hanc esse communem opinionem, tenet. Bellarm. in 4. *controver. gen. de monach. c. 38. post med. vers. altera solutio. l. 2. tom. 1.*

99 Undecimò, defectus consensus, quia furiosus matrimonium contrahere non potest, cum in eo consensus deficiat. *cap. 103 neque furiosus. 37. q. 2. v. sicut. tenor. de reg. & c. dilectus. de sponsat* minusq; mente captus, quia caret intellectu, sine quo consensus prestare non potest, cum similis sit furioso, *l. si furiosi. C. de nupt. & l. 2. C. de curat. furiosi.* Nihilominus furiosus, vel mente captus, si habens dilucida intervalla, si matrimonium contrahit, condit testamentum, vel alium celebrat contractum, solitis solemnitatibus servatis, valet, quòd agit, quia semper præsumitur factum, & celebratum in sana mente, *l. furiosum, & si verò. C. qui testam. sac. poss. & ibi Jal. n. 3. ver. intellige. Corn. consil. 216. n. 15. vol. 3. Grammat. decis. 73. num. 37. & 38. Covar. epit. de spons. c. 2. num. 7 & Mascard. concl. 875. n. 13. de probat.*

101 Duodecimò, affinitas, quæ est personarum proximitas ex coitu proveniens omnino carens parentela, *ut, si non facile. §. affines ff. de grad. affin. & gl. in extravag. in arbor. affin.* & cum ea persona, cum qua per matrimonium inter consanguineos contractum, affinitas fuit contracta, usque ad quartum gradum matrimonium contrahi non potest, & contractum non tenet. *cap. non debet. §. prohibitio. de consang. & affin. & ibi Abb. num. 1.*

2 Decimotertio, impotentia naturalis, si quis propter frigiditatem naturalem coire non potest, quia tunc impotentia unius

impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. *c. quod autem. c. requisisti. & c. si quis. §. ecce. 33. q. 1. c. quod sedè, & c. laudabilem, de frigid. & males.* nisi ambo consentirent, & simul tanquam frater, & soror convivere vellent. *d. c. laudabilem, v. quod si ambo & ibi gl. de frigid. & male.*

Decimoquarto, impotentia accidentalis, si cum quis spada, vel gladio genitalia amisit, & spadones, castrati, Eunuchi, matrimonium contrahere non possunt, & cum ipsis contractum non tenet. ut reprobat gl. *in c. bi qui in verb. ex.* tenet Ab, qui de comuni testatur. *inc. 2. n. 5. de fri. & mal.*

Decimoquinto, impotentia propter maleficium, si est perpetua, matrimonium dirimit, sed cum nunquam hæc eveniant, nisi iusto Dei iudicio permittente, & diabolo præparante, ut concubitus non sequatur, si prius conjuges hortandi sunt, quibus ista eveniunt, ut corde contrito Deo, & spiritu humiliati sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusus lacrymis, largioribus eleemosynis, & orationibus atque jejuniis, domino satisfaciant, ac per exorcismos, ac cætera ecclesiastica medicamina, ministri ecclesiæ tales, quantum dominus annuerit, ut sani fiant, procurare debent. *ut c. super sortiarias. 33. q. 1. & c. fin. post med. de frigid. & males.*

106 Impotentia, & frigiditas, si ad effectum dissolutionis matrimonii probatur per inspectionem impotentia in muliere, si est arcta, ad eò ut habilis reddi non possit, *cap. ex litteris, & d. c. fraternitatis, & in viro, si probatur, quòd habeat membrum aridum, vel ex toto sectum, aut quid simile. ut c. laudabilem & ibi Abb. n. 2. de frigid. & males.* alioquin si ex inspectione constare